

J. R.

EDITIONES CRITICÆ  
SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM  
A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO  
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ PUBLICI IURIS FACTÆ.

---

---

# DICTA CATONIS

QUAE VULGO INSCRIBUNTUR

## CATONIS DISTICHA DE MORIBUS.

ITERUM EDIDIT

### GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS.

Ára 1 frt.

BUDAPESTINI.

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANAE.

MDCCCXCV.

EDITIONES CRITICÆ  
SCRIPTORUM GRÆCORUM ET ROMANORUM  
A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO  
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ  
PUBLICI IURIS FACTAE.

DICTA CATONIS  
QUAE VULGO INSCRIBUNTUR  
CATONIS DISTICHA DE MORIBUS

BUDAPESTINI.

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ.

MDCCCXCV.

# DICTA CATONIS

QUAE VULGO INSCRIBUNTUR

## CATONIS DISTICHA DE MORIBUS.

ITERUM EDIDIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE SODALIS.



BUDAPESTINI.


SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE.

MDCCXCIV.

448758

M. ACADEMIA  
KÖNYVTARA





## PRÆFATIO.

Anno MDCCCXCII. in annalibus gymnasii regii catholici regionis V. Budapestinensis publici iuris feci editionem criticam distichorum Catonianorum, quam omnes viri docti, qui de ea in ephemeridibus Hungaricis et externis scripserunt, præsertim C. Weyman (Wochenschrift für klassische Philologie, 1892. p. 1169) et Lucianus Mueller (Berliner philologische Wochenschrift, 1893 p. 12—17.), laude et approbatione prosecuti sunt. Sed communi annalium scholasticorum fato brevi accidit, ut divenditis paucis, quæ bibliopolæ Ph. Wodianer commiseram, exemplaribus libellus noster iis, qui Catoni operam dare volebant, nusquam præsto esset. Ne igitur oleum et operam perdidisse viderer, illustrissima Academia Litterarum Hungarica Catonem iterum a me edi iussit, in qua altera editione id maxime egi, ut apparatu critico erroribus mendisque purgato totum opusculum castigatius limatusque in publicum prodiret.

Dabam Budapestini mense Januario a. MDCCCXCV.

Geyza Némethy

Academiae Litterarum Hungaricæ sodalis.

## OTRAS OBRAS

Hijo, de suyo, nació en el año 1600, y  
llegó a la edad de 60 años, y murió en  
el año 1660. Fue un hombre de mucha  
virtud y de gran erudición. Se dedicó  
a la enseñanza de la Sagrada Escritura  
y a la predicación de la fe cristiana.  
En su juventud estudió en la Universidad  
de Salamanca, y más tarde se dedicó  
a la enseñanza de la Sagrada Escritura  
en la Universidad de Valladolid. Fue  
un gran teólogo y un gran predicador.  
Su obra más famosa es la "Comedia  
de los Santos", que es una colección  
de sermones y homilías sobre los Santos  
de la Iglesia. Es una obra muy  
interesante y muy valiosa.

## OTRAS OBRAS

Algunas de sus otras obras son:  
- "Tratado de la Sagrada Escritura".  
- "Compendio de la Sagrada Escritura".  
- "Tratado de la Sagrada Escritura".

## DE RATIONE EDENDI.

Quamquam in distichis, quæ vocantur, Catonianis medio ævo diligentissime lectitatis eoque magis incredibili pæne librariorum neglegentia corruptis inde ab ætate renascientium litterarum multi viri docti operam collocarunt, non nisi recentissimo tempore, qui plures libros manuscriptos adirent atque hos versiculos ad severiora artis criticæ præcepta revocantes scriptoris nostri vulnera efficacioribus tandem aliquando medelis sanare conarentur, inventi sunt. Tantum enim abest, ut præstantissimis olim Catonis editoribus, Erasmo, Scaligero, Scriverio et Arntzenio, qui, quidquid ingenii acumine sine sufficienti codicum subsidio erui poterat, certe eruerunt, genuinam sententiarum formam restituere contigerit, ut ne *Hauthal*<sup>1</sup> quidem, cum varietates scripturarum e magna librorum copia sollertissime collegisset, parem se præbuerit purgando huic Augiæ stabulo, quippe qui neque codices in familias distribuere, neque, quanta esset testis cuiusque auctoritas, ea qua par erat cura investigare conaretur. Unde factum est, ut non solum codicem Turicensem antiquitate ipsa commendatum omnino neglegeret, sed plurimos etiam locos manifesto madosos intactos relinquere, præsertim cum sibi non ita corruptum ad nostram ætatem

---

<sup>1</sup> Catonis philosophi liber, post Ios. Scaligerum vulgo dictus Dionysii Catonis disticha de moribus ad filium. Berolini 1869.

pervenisse Catonem infelicissime persuasisset. Quibus si addis, antiquissimos atque optimos codices postea in lucem esse prolatos, editionem eius nulla ex parte a nobis probari non est quod mireris.

*Schenkl* enim paucis post annis Veronæ in Bibliotheca Capitulari excussit librum manuscriptum Catonis antiquissimum,<sup>1</sup> quo cum ceteris comparato textum eius ab alio archetypo originem ducere multoque meliorem servasse formam facile apparuit, ut eum mutilum esse neque omnes versus exhibere vehementissime sit dolendum. Sed equidem id maxime ægre tuli, quod *Cipolla*,<sup>2</sup> qui postea nulla ratione commentary Schenkelianæ habita Veronensem denuo,— non enim, ut bonus Italus neglegentiam suam arguens credit, primus — inspexit, multa aliter exscripsit neque tertius quisquam, qui librum procul dubio maxima cura dignum utramque collationem respiciens consuleret, hue usque inventus est. Deinde publici iuris factæ sunt lectiones duorum neglectorum antea codicum, scilicet Vossiani L. Q. 86<sup>3</sup> et Montepessulani in bibliotheca scholæ medicinalis 306,<sup>4</sup> qui quamquam communem habent cum ceteris ab Hauthalio excussis fontem, multo tamen pluris æstimandi esse videntur.

Postquam igitur artis criticæ via quadam ac ratione exer-

<sup>1</sup> Vide *C. Schenkl*: Eine alte Handschrift der Disticha Catonis. (Zeitschrift f. öst. Gymn. 1873. p. 485.)

<sup>2</sup> I codici Veronesi dei distici Catoniani. Rivista di Filologia VIII. p. 517—535.

<sup>3</sup> Vide H. J. Muelleri librum: Symbolæ ad emendandos scriptores Latinos. Berolini 1876.

<sup>4</sup> Vide *Fontaine*: Etude sur les distiques moreaux de Caton d'après deux manuscrits de Montpellier (Revue de Philologie, 1880. p. 177—185.)

cendæ firmiora iacta sunt quasi fundamenta, confecit recentissimam Catonis editionem Aemilius Bæhrens,<sup>1</sup> qui cum lectioni constituendæ eam adhibuisset rationem a nobis quidem probatam, ut omnibus præponeret auctoritatem codicis Veronensis, quem ex familia sua solum adhuc repertum esse satis constat, inter ceteros autem alterius familiae libros Turicensem, Montepessulanum, Vossianum supra memoratos, tum Matritensem (Cajon 14. Nr. 22, 40.) et Ambrosianum (C. 74. sup.) a se primum excusso ut meliores sequeretur, permulta in textu vulgato rectissime correxit neque tamen virorum doctorum exspectationi omni ex parte satisfecit. Nam primum, quem ducem optimum esse dixit, Veronensem parum sibi constans saepius nulla cogente causa mire neglexit; deinde præferendas esse ceteris pulcherrimas illas lectio-nes in Parisinis 2772. et 8093. extantes non ubique vidit;<sup>2</sup> tum plus æquo tribuit testimonio Columbani, medii ævi poetæ in *Carmine Monosticho*,<sup>3</sup> quem interdum posthabita etiam Veronensis scriptura secutus est, quod nos, cum a Columbanio sensum distichorum in monostichorum formam redi-gente ipsa verba e versibus Catonianis imitando expressis in

<sup>1</sup> Poetæ Latini minores, Lipsiae 1881, vol. III. p. 205—236.

<sup>2</sup> De codicibus Parisinis vide commentationem Bonneti diligenter compositam: *Les distiques de Caton et les manuscrits de Paris* (Revue de philologie, VII. p. 23—32). Vir doctus, quamquam in familiis codicum describendis cum Bæhrenso non ubique consentit, tamen, quos hic libros maxime secutus est, eosdem melioris notæ esse concedit.

<sup>3</sup> Vide in Thesauro Canisii editionem curatam a Basnagio, Amstelodami, 1725. vol. I. p. 769. sqq. Ceterum cf. *Manitius*: Geschichte der christlichlateinischen Poesie, p. 390. Idem, quomodo Dicta Catonis medio ævo lectitata et mutata sint, diligentissime exponit in ephemeride, cui nomen *Philologus*, t. LI. p. 164. sqq.

usum suum converti non potuisse luce clarius sit, nullo modo probamus, maximam cautelam quæstioni tam lubricæ adhibendam esse putantes; denique, id quod cetera quoque huiusmodi opera hominis alioquin ingeniosi miserrime inquinat, insatiabili quodam nova excogitandi pruritu ductus adeo temerariis vexavit coniecturis hos versus, ut nisi vana eius commenta severissime castigentur atque reiificantur, verendum sit, ne incautos decipiens lectores interpolator magis quam emendator Catonis evadat.

Quibus ita expositis vides iam nullam adhuc in publicum prodiisse editionem, quæ omni ex parte ætate nostra digna dici posset. Nos igitur, quoniam iisdem, quibus Bæhrens usus est, subsidiis rectius adhibitis rem multo prosperius cessuram fuisse persuasum habemus, sententiam nostram exemplis demonstraturi hæc quamvis pauca atque levia pro virili parte ad emendandum Catonem conferre animum induximus.

Iam quod ad totam edendi rationem attinet, Bæhrensiū sequimur ducem: omnibus enim codicibus præponimus auctoritatem libri manuscripti Veronensis, ex altera autem codicūm familia meliores putamus quinque illos a Bæhrenso selectos. Feliores tamen sumus, quam ille fuit, hoc uno, quod vir doctissimus nobisque amicissimus, Rudolfus Vári, cum anno 1889. bibliothecas Italiæ perscrutaretur, librum Veronensem in nostrum usum benevolentissime denuo consultit easque discrepantias, quæ inter collationes Schenkelii et Cipollæ intercesserunt, maxima cum cura dissolvit, quo factum est, ut in subsidio præstantissimi codicis abhibendo nihil iam editorem impediret. Quare nos ante omnia multo saepius faciliusque uti potuimus lectionibus libri Veronensis pulcherrimis; ea deinde, qua par erat, cura consuluimus

duos illos Parisinos; tum cavimus, ne testimoiiis Columbani plus æquo tribueretur; iis denique locis, ubi sensimus editores codicum ope destitutos, modestiores esse tuioremque in emendando viam ingredi studuimus. Speramus igitur fore, ut lectores hunc libellum cum editione Bæhreniana comparantes laborem nostrum non omni ex parte fuisse inutilem cognoscant.

Ceterum vide, quæ his annis ad disticha Catonis emenda et interpretanda contuli publicique iuris feci:

1. A *Cato-féle* párversek magyarországi kiadásai és fordításai. (Versiones et editiones Hungaricæ distichorum Cat.) In Ephemeride Hungarorum philologica, quæ «*Egyetemes Philologiai Közlöny*» inserbitur, a. 1889. p. 96—110 et 203—217.

2. *Spicilegium criticum in distichis Catonianis*. In Supplementis ephemeridis «*Egyetemes Philologiai Közlöny*» a. 1889. p. 128—144.

3. *Ad. vs. 4. l. III. distichorum Catonianorum*. Egy. Phil. Közl. a. 1889. p. 769.

4. *Cato distichonjainak egybevetése a Publilius Syrus-féle sententiákkal*. (Disticha Catonis cum sententiis Publili Syri collata.) Egy. Phil. Közl. a. 1890. p. 794—796.

5. *Cato bölcs mondásai*. Latinul és magyarul. Szövegét megállapította, fordította, bevezetéssel és jegyzetekkel ellátta. (*Dicta Catonis*. Latine et Hungarice. Recensuit, in Hungarium convertit, prolegomenis et adnotationibus instruxit.) Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, a. 1891.

6. *Cato distichonjainak Planudes-féle fordításáról*. (De versione Planudea distichorum Catonianorum). Egy. Phil. Közl. a. 1891. p. 1067—1074., ubi Planudem codice quodam

deterioris notæ usum esse neque versionem eius ad emendandum Catonem quicquam valere docui.

Notæ codicum præstantiorum, quibus usi sumus, sunt hæc:  
*A* = codex Veronensis bibliothecæ capitularis n. 163.  
sæc. IX.

*B* = c. Matritensis (Cajon 14. Nr. 22, 40) sæc. IX.

*C* = c. Turicensis 78. sæc. IX.

*D* = c. scholæ medicinalis Montepessulanæ 306. sæc. IX.

*E* = c. Vossianus L. Q. 86. sæc. IX.

*F* = c. Ambrosianus C. 74. sup. sæc. X.

Notas scilicet a Bæhrencio usurpatas errorum evitandorum causa retinuimus. Reliquos libros suo quemque loco adiecto bibliothecæ numero proferemus.

In adnotationibus criticis plerumque eos tantum locos resipiciendos putavi, ubi ab editionibus, quæ hic usque publici iuris factæ sunt, omnibus discessi.

---

DICTA CATONIS.

Amado 1910

## DICTA CATONIS.

### PRÆFATIO.

1. Cum animadverterem, plurimos graviter in via morum errare, succurrendum opinioni eorum et consulendum famæ existimavi, maxime ut istis gloriose vivere et honeste mori contingeret. 2. Quare ista facienda atque imitanda esse prescripsi, ut factis eorum vita corrigatur. Igitur præcepta is legat, qui intellegit. Legere enim et non intellegere neglegere est.

### SENTENTIÆ.

1. Deo supplica.
2. Parentes ama.
3. Cognatos cole.
4. Datum serva.
5. Foro parce.
6. Cum bonis ambula.
7. Ad nequam ne accesseris.
8. Mundus esto.
9. Saluta libenter.
10. Maiori concede.
11. Magistratum metue.
12. Verecundiam serva.
13. Rem tuam custodi.
14. Diligentiam adhibe.

15. Familiam cura.
16. Mutuum da.
17. Cui des, videto.
18. Convivare raro.
19. Quod satis est, dormi.
20. Coniugem ama.
21. Iusitrandum serva.
22. Vino tempera.
23. Pugna pro patria.
24. Nihil temere credideris.
25. Meretricem cave.
26. Libros lege.
27. Quæ legeris, memento.
28. Liberos erudi.
29. Blandus esto.
30. Irascere ob rem \*\*\*
31. Neminem irriseris.
32. In iudicio adesto.
33. Ad prætorium statu.
34. Consultus esto.
35. Virtute utere.
36. Trocho lude.
37. Aleam fuge.
38. Litteras disce.
39. Bono benefacito.
40. Vitæ consule.
41. Maledicus ne esto.
42. Existimationem retine.
43. Aequum iudica.
44. Nihil mentire.
45. Iracundiam rege.

46. Parentem patientia vince.
47. Minorem ne contempseris.
48. Nihil arbitrio virium feceris.
49. Patere legem, quam ipse tuleris.
50. Beneficii accepti esto memor.
51. Pauca in convivio loquere.
52. Miserum noli irridere.
53. Minime iudica.
54. Aliena ne concupieris.
55. Illud adgredere, quod iustum est.
56. Libenter amorem ferto.
57. Liberalibus stude.

## DISTICHA.

### LIBER I.

1.

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,  
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

2.

Plus vigila semper neu somno deditus esto ;  
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

3.

Virtutem primam esse puta compescere linguam :  
Proximus ille deo est, qui scit ratione tacere.

4.

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse :  
Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

5.

Si vitam inspicias hominum, si denique mores :  
Cum culpant alios, nemo sine crimine vivit.

6.

Quæ nocitura tenes, quamvis sint cara, relinque :  
Utilitas opibus præponi tempore debet.

## 7.

Constans et lenis, ut res expostulat, esto :  
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

## 8.

Nil temere uxori de servis crede querenti ;  
Semper enim coniunx servum, quem diligis, odit.

## 9.

Cum moneas aliquem nec se velit ille moneri,  
Si tibi sit carus, noli desistere coeptis.

## 10.

Contra verbosos noli contendere verbis :  
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

## 11.

Dilige sic alios, ut sis tibi carus amicus ;  
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.

## 12.

Rumores cave, ne studeas novus auctor haberi,  
Nam tacuisse nocet nulli, nocet esse locutum.

## 13.

Spem tibi polliciti certam promittere noli :  
Rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur.

## 14.

Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento :  
Plus aliis de te, quam tu tibi, credere noli.

## 15.

Officium alterius multis narrare memento;  
At quæcumque aliis benefeceris ipse, sileto.

## 16.

Multorum cum facta senex ac dicta reprendas,  
Fac tibi succurrant, iuvenis quæ feceris ipse.

## 17.

Ne cures, si quis tacito sermone loquatur;  
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

## 18.

Si fueris felix, quæ sunt adversa, caveto:  
Non eodem cursu respondent ultima primis.

## 19.

Cum dubia et fragilis nobis sit vita tributa,  
In morte alterius spem tu tibi ponere noli.

## 20.

Exiguum munus cum det tibi pauper amicus,  
Accipito latus, plene et laudare memento.

## 21.

Infantem nudum cum te natura crearit,  
Paupertatis onus patienter ferre memento.

## 22.

Ne timeas illam, quæ vitae est ultima finis:  
Qui mortem metuit, perdit, quod vivit, id ipsum.

## 23.

Incusare deos noli, sed te ipse coërce,  
Si tibi pro meritis nemo succurrit amicus.

## 24.

Ne tibi quid desit, quæsitis utere parce,  
Utque quod est, serves, semper tibi desse putato.

## 25.

Quod præstare potes nec vis, promittere noli,  
Ne sis ventosus, dum vis bonus esse videri.

## 26.

Cum simulat verbis nec corde est fidus amicus,  
Tu quoque fac simules : sic ars deluditur arte.

## 27.

Noli homines blandos nimium sermone probare :  
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

## 28.

Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos  
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

## 29.

Quod vile est, carum, quod carum, vile putato :  
Sic tu nec cupidus nec avarus nosceris ulli.

## 30.

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse :  
Turpe est rectori, cum culpa redarguit ipsum.

## 31.

Quod iustum est, petito, vel quod videatur honestum;  
Nam stultum petere est, quod possit iure negari.

## 32.

Ignotum tibi tu noli praeponere notis:  
Cognita iudicio constant, incognita casu.

## 33.

Cum dubia in certis versetur vita periclis,  
Pro lucro tibi pone diem, quicumque sequetur.

## 34.

Vincere dum possis, interdum cede sodali;  
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

## 35.

Ne dubita, cum magna petas, impendere parva:  
His etenim rebus coniungit Gratia caros.

## 36.

Litem inferre cave, cum quo tibi gratia iuncta est:  
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.

## 37.

Servorum culpa cum te dolor urget in iram,  
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.

## 38.

Quem superare potes, interdum vince ferendo;  
Maxima enim morum est semper patientia virtus.

## 39.

Conserva potius, quæ sunt iam parta, labore :  
Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

## 40.

Dapsilis interdum notis et carus amicis  
Cum fueris dando, semper tibi proximus esto.

---

**LIBER II.**

1.

Si potes, ignotis etiam prodesse memento ;  
Utilius regno est, meritis adquirere amicos.

2.

An di sint cælumque regant, ne quære doceri :  
Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia, cura.

3.

Linque metum leti ; nam stultum est tempore in omni,  
Dum mortem metuas, amittere gaudia vitæ.

4.

Iratus de re incerta contendere noli :  
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

5.

Fac sumptum propere, cum res desiderat ipsa,  
Dandum etenim est aliquid, dum tempus postulat aut res.

6.

Quod nimium est, fugito, parvo gaudere memento :  
Tuta mage est puppis, modico quæ flumine fertur.

7.

Quod pudeat, socios prudens celare memento,  
Ne plures culpent id, quod tibi displicet uni.

## 8.

Nolo putas pravos homines peccata lucrari ;  
Temporibus peccata latent, at tempore parent.

## 9.

Corporis exigui vires contemnere noli :  
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

## 10.

Cui scieris non te esse parem, pro tempore cede :  
Victorem a victo superari sæpe videmus.

## 11.

Adversum notum noli contendere verbis :  
Lis verbis minimis interdum maxima crescit.

## 12.

Quid deus intendat, noli perquirere sorte :  
Quid statuat de te, sine te deliberat ille.

## 13.

Invidiam nimio cultu vitare memento,  
Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

## 14.

Esto fortis animo, cum sis damnatus inique :  
Nemo diu gaudet, qui iudice vincit iniquo.

## 15.

Litis præteritæ noli maledicta referre :  
Post inimicitias iram meminisse malorum est.

## 16.

Nec te collaudes nec te culpaveris ipse :  
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

## 17.

Utere quæsitus modice : cum sumptus abundat,  
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

## 18.

Insipiens esto, cum tempus postulat ipsum :  
Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

## 19.

Luxuriam fugito, simul et vitare memento  
Crimen avaritiæ ; nam sunt contraria famæ.

## 20.

Nolito quædam referenti credere sæpe :  
Exigua est tribuenda fides, qui multa loquuntur.

## 21.

Quæ potus peccas, ignoscere tu tibi noli :  
Nam crimen vini nullum est, sed culpa bibentis.

## 22.

Consilium arcanum tacito committe sodali,  
Corporis auxilium medico committe fideli.

## 23.

Successum indigni nolito ferre moleste :  
Indulget fortuna malis, ut vincere possit.

## 24.

Prospice, qui veniant casus, hos esse ferendos ;  
Nam levius lædit, quidquid prævidimus ante.

## 25.

Rebus in adversis animum submittere noli :  
Spem retine ; spes una hominem nec morte relinquit.

## 26.

Rem, tibi quam scieris aptam, dimittere noli :  
Fronte capillata, post est Occasio calva.

## 27.

Quod sequitur, specta, quodque imminet ante, videto :  
Illum imitare deum, partem qui spectat utramque.

## 28.

Fortius ut valeas, interdum parcior esto :  
Pauca voluptati debentur, plura saluti.

## 29.

Iudicium populi nunquam contempseris unus,  
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.

## 30.

Sit tibi præcique, quod primum est, cura salutis ;  
Tempora nec culpes, cum sis tibi causa doloris.

## 31.

Somnia ne cures ; nam mens humana, quod optat,  
Dum vilitat, sperat, per somnum cernit id ipsum.

---

### **LIBER III.**

1.

Instrue præceptis animum, ne discere cessa;  
Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.

2.

Cum recte vivas, ne cures verba malorum;  
Arbitrii non est nostri, quid quisque loquatur.

3.

Productus testis, salvo tamen ante pudore,  
Quantumcumque potes, celato crimen amici.

4.

Blandos sermone et blæsos vitare memento;  
Simplicitas veri forma est, laus facta loquendi.

5.

Segnitiem fugito, quæ vitae ignavia fertur;  
Nam cum animus languet, consumit inertia corpus.

6.

Interpone tuis interdum gaudia curis,  
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

---

## 7.

Alterius dictum aut factum ne carpseris unquam,  
Exemplo simili ne te derideat alter.

## 8.

Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato,  
Augendo serva, ne sis, quem fama loquatur.

## 9.

Cum tibi divitiæ superant in fine senectæ,  
Munificus facito vivas, non parcus amicis.

## 10.

Utile consilium dominus ne despice servi ;  
Nullius sensum, si prodest, tempseris unquam.

## 11.

Rebus et in censu si non est, quod fuit ante,  
Fac vivas contentus eo, quod tempora præbent.

## 12.

Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis,  
Nec retinere velis, si cœperit esse molesta.

## 13.

Multorum disce exemplis, quæ facta sequaris,  
Quæ fugias : vita est nobis aliena magistra.

## 14.

Quod potes, id tempta, operis ne pondere pressus  
Succumbat labor et frustra motata relinquas.

## 15.

Quod nosti factum haud recte, nolito silere,  
Ne videare malos imitari velle tacendo.

## 6.

Iudicis auxilium sub iniqua lege rogato ;  
Ipsæ etiam leges cupiunt, ut iure regantur.

## 17.

Quod merito pateris, patienter ferre memento,  
Cumque reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

## 18.

Multa legas facitō, perlectis neglege multa ;  
Nam miranda canunt, sed non credenda poetæ.

## 9.

Inter convivas fac sis sermone modestus,  
Ne dicare loquax, cum vis urbanus haberi.

## 20.

Coniugis iratæ noli tu verba timere ;  
Nam lacrimis struit insidias, cum femina plorat.

## 21.

Utere quæsitis, sed ne videaris abuti :  
Qui sua consumunt, cum dest, aliena sequuntur.

## 22.

Fac tibi proponas mortem non esse timendam,  
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

## 23.

Uxoris linguam, si frugi est, ferre memento,  
Namque malum est, non velle pati nec posse tacere.

## 24.

Aequa diligit caros pietate parentes,  
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

## **LIBER IV.**

1.

Despice divitias, si vis animo esse beatus,  
Quas qui suspiciunt, mendicant semper avari.

2.

Commoda naturæ nullo tibi tempore derunt,  
Si contentus eo fueris, quod postulat usus.

3.

Cum sis incautus nec rem ratione gubernes,  
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

4.

Dilige denarium, sed parce dilige formam,  
Quam nemo sanctus nec honestus captat habere.

5.

Cum fueris locuples, corpus curare memento :  
Aeger dives habet nummos, se non habet ipsum.

6.

Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,  
Fer patris imperium, cum verbis exit in iram.

## 7.

Res age, quæ prosunt: rursus vitare memento,  
In quibus error inest nec spes est certa laboris.

## 8.

Quod donare potes, gratis concede roganti,  
Nam recte fecisse bonis in parte lucrorum est.

## 9.

Quod tibi suspectum est, confestim discute, quid  
Namque solent, primo quæ sunt neglecta, nocere.

## 10.

Cum te detineat Veneris damnosa libido,  
Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.

## 11.

Cum tibi proponas animalia cuncta timere,  
Unum præcipue tibi seito hominem esse timendum.

## 12.

Cum tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,  
Fac sapias: sic tu poteris vir fortis haberi.

## 13.

Auxilium a notis petito, si forte labores,  
Nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus.

## 14.

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?  
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

## 15.

Cum tibi vel socium vel fidum quæris amicum,  
Non tibi fortuna est hominis, sed vita petenda.

## 16.

Utere quæsitis opibus, fuge nomen avari;  
Quid tibi divitias, si semper pauper abundes?

## 17.

Si famam servare cupis, dum vivis, honestam,  
Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia vitæ.

## 18.

Cum sapias animo, noli ridere senectam;  
Nam quicumque senet, puerilis sensus in illo est.

## 19.

Disce aliquid; nam cum subito Fortuna recessit,  
Ars remanet vitamque hominis non deserit unquam.

## 20.

Prospicito cunctos tacitus, quid quisque loquatur:  
Sermo hominum mores et celat et indicat idem.

## 21.

Exerce studio, quamvis perceperis artem;  
Ut cura ingenium, sic et manus adiuvat usum.

## 22.

Multum venturi ne cures tempora fati:  
Non metuit mortem, qui scit contemnere vitam.

## 23.

Disce, sed a doctis, indoctos ipse doceto;  
Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum.

## 24.

Hoc adhibe \* \* quo possis vivere sanus:  
Morbi causa mali est, nimia est quæcumque voluptas.

## 25.

Laudaris quodcumque palam, quodcumque probaris,  
Hoc vide, ne rursus levitatis crimine damnes.

## 26.

Tranquillis rebus semper adversa timeto:  
Rursus in adversis melius sperare memento.

## 27.

Discere ne cessa: cura sapientia crescit;  
Rara datur longo prudentia temporis usu.

## 28.

Parce laudato: nam quem tu sæpe probaris,  
Una dies, qualis fuerit, ostendet, amicus.

## 29.

Non pudeat, quæ nescieris, te velle doceri:  
Scire aliquid laus est, culpa est nil discere velle.

## 30.

Cum Venere et Baccho lis est et iuncta voluptas:  
Quod lætum est, animo complectere, sed fuge lites.

## 31.

Demissos animo et tacitos vitare memenfor: . . . . .  
 Quod flumen placidum est, forsan latet altius unda.

## 32.

Dum fortuna tibi rerum tua displicet ipsi; . . . . .  
 Alterius specta, cui sit discrimine peior. . . . . .

## 33.

Quod potes, id tempta; nam litus carpere remis  
 Utilius multo est, quam velum tendere in altum.

## 34.

Contra hominem iustum prave contendere noli;  
 Semper enim deus iniustas ulciscitur iras.

## 35.

Ereptis opibus noli mærere dolendo, . . . . .  
 Sed gaude potius, tibi si contingat habere. . . . . .

## 36.

Est iactura gravis quæsitum amittere damno: . . . . .  
 Sed tibi, cum valéas, semper superesse putato.

## 37.

Tempora longa tibi noli promittere vitæ: . . . . .  
 Quocumque incedis, sequitur mors corporis umbra.

## 38.

Ture deum placa; vitulum sine crescat aratro: . . . . .  
 Ne credas gaudere déum, cum cæde litatur.

## 39.

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti :  
Lædere qui potuit, prodesse aliquando valebit.

## 40.

Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde :  
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

## 41.

Damnaris nunquam post longum tempus amicum :  
Mutavit mores, sed pignora prima memento.

## 42.

Gratior officiis, quo sis mage carior, esto,  
Ne nomen subeas, quod dicunt, officiperdi.

## 43.

Suspectus cave sis, ne sis miser omnibus horis ;  
Nam timidis et suspectis aptissima mors est.

## 44.

Cum famulos fueris proprios mercatus in usus,  
Et servos dicas, homines tamen esse memento.

## 45.

Quam primum rapienda tibi est occasio prima,  
Ne rursus quæras, quæ iam neglexeris ante.

## 46.

Morte repentina noli gaudere malorum :  
Felices obeunt, quorum sine crimine vita est.

## 47.

Cum coniunx tibi sit, ne res et fama laboret,  
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

## 48.

Cum tibi contigerit studio cognoscere multa,  
Fac discas multa ac vita nescire doceri.

## 49.

Miraris versus nudis me scribere verbis ?  
Hoc brevitas fecit, sensu coniungere binos.

---

## APPENDIX.

1.

Lætandum est vita, nullius morte dolendum ;  
Cur etenim doleas, a quo dolor ipse recessit ?

2.

Quod scieris opus esse tibi, dimittere noli ;  
Oblatum auxilium stultum est dimittere cuiquam.

3.

Quod nocet, interdum, si prodest, ferre memento ;  
Dulcis enim labor est, cum fructu ferre laborem.

4.

Perde semel, socium quo ingratum noveris esse :  
Sæpe dato bona, si scieris bene ponere, quod des.

5.

Dissimula læsus, si non datur ultio præsens :  
Qui celare potest odium, pote lædere, quem vult.

6.

Qui prodesse potest, non est fugiendus amicus,  
Si læsit verbo : bonitas sine crimine nulla est.

## 7.

Non pecces tunc, cum peccare impune licebit:  
Sub tortore manet, quem damnat conscientia vita.

## 8.

Contra hominem astutum noli tu verus haberi:  
Non captare malos stultum est nec velle nocere.

## 9.

Dat legem natura tibi, non accipit ipsa.

## 10.

Quod tacitum esse velis . . . . dicere noli

## 11.

Fortunæ donis semper par esse memento:  
Non opibus bona vita datur, sed moribus ipsis.

## 12.

Spem positam voti noli tu semper habere;  
Non homini semper faciles deus annuit aures.

## 13.


Quod tibi consilium dederit probatus \* amicus,  
Conserva: nullum est damnum reparata voluntas.

## 14.

Sunt quædam, quæ ferre decet patienter amicum.

---

ADNOTATIONES CRITICAE.



## ADNOTATIONES CRITICAE.

### De titulo operis.

Notissima res est, hexametros Catonianos *Dionysii Catonis disticha de moribus* vulgo inscriptos esse inde a Scaligero, qui in exordio adnotationum suarum hæc scribit: «In libro vetustissimo Simeonis Bosii, iuridici Lemovicensis titulus ita conceptus erat: Dionysii Catonis disticha de moribus ad filium. Solus ille codex bonæ notæ repertus est memoria nostra; reliqui, ut sequiorum sæculorum, ita mendosiores.» Nos quamquam fidem Scaligeri in dubium vocare nolumus, nullam fere auctoritatem codici illi tribuimus, cum e lectiōnibus viri doctissimi librum eius manuscriptum Veronensi, Matritensi, Turicensi, Montepessulano, Vossiano et Ambrosiano, qui nobis præsto sunt, multo deteriorem fuisse luculentissime appareat. In titulo igitur non antiquam servatam esse memoriam, sed forte accidisse, ut liber sic inscriberetur, iure nobis videmur affirmare. Quæ si ita sunt, nihil iam moramur eorum suspicionem, qui distichorum collectiō nem Dionysii cuiusdam opus esse *Cato* inscriptum contendérunt.

Vindicianus autem, comes archiatrorum, in antiquissimo, quod ad nostrum poetam pertinet, testimonio, scilicet in epistola ad Valentinianum imperatorem, simpliciter de Cato loquitur, ut etiam in plurimis codicibus *liber v. libri*

*Catonis*, nullo prænomine addito legitur. In Par. 8286. exstat singulare illud *Ethica Catonis*, quod occurrit etiam apud quendam medii ævi poetam :

Si legisse memoras  
*Ethicam Catonis*,  
 In qua scriptum legitur,  
 Ambula cum bonis.

(Vide ap. Hauthalium p. XXIV). In Par. 8320 : *liber Catonis Cordubensis*, ex quo Hauthal *Catonem* non titulum, sed ipsum auctoris, Hispani cuiusdam, nomen esse temere coniecit, quamquam in hoc deterioris notæ codice *Catonem nostrum* cum Seneca confundi consentaneum est.

In D : *Incipiunt libri Catonis philosophi*; præterea etiam in Par. 2659. et in Puteani collationibus trium codicum, de quibus consule Hauthalii præfationem, *Cato philosophus* legitur. Fortasse librarii nostrum *Catonem* hac ratione ab antiquo Catone discernere voluerunt ineptissime quidem, eum scriptor distichorum nulli philosophorum sectæ addictus sit. Sin autem Uticensem intellegi volumnus, nihilo minus absurdus esse videtur libri titulus. Is enim, qui tertio post Christum natum sæculo hos versus conscripsit, si non suum ipsius nomen libro imposuit, certe *Catonem maiorem*, auctorem *Praeceptorum* et Ἀποφθεγμάτων a Plutarcho comemoratorum intellegi voluit.

In B : *Marci Catonis ad filium salutem*; mendozissime.  
 In A : *Dicta Marci Catonis ad filium suum*, in quo *ad filium suum* genuinum esse non potest, primum, quia in eodem codice habemus antiquiorem præfationis formam, quæ, ut infra videbimus, generatim ad lectores, non ad *filium scripta* est, deinde, quia librario *Catonis Praecepta ad filium* ob oculos versata esse neque *ad filium* cum *Dicta*

apte cohærere: — *Praecepta* enim vel *Mōnita* scriptores ad filios mittebant — facile apparet.

Nos igitur hanc syllogen, quoniam Catonis nomine varias graviter atque acute dictorum collectiones editas esse satis constat, e quo genere ad nostram ætatem pervenerunt *Sententiae Catonis* in Par. lat. 4841,\* ē titulo codicis Veronensis, quæ falsa sunt, electis *Dicta catonis*, quo non disticha solum, sed etiam minutissimæ illæ sententiolæ oratione soluta scriptæ comprehenduntur, inscribendam esse censemus. Scilicet anonymous carminum auctor Catonis nomen apertissimum putavit, quo præcepta ad mores emendandos pertinentia commendarentur, non eo tamen consilio, ut lectores decipiens librum pro genuino Caſtonis opere venditaret. Nam scriptor tertio post Christum natum saeculo non recentior, qui satis eleganti dicendi genere sententias composuit versusque fecit optimos, fuit certe litteris adeo imbutus, ut, si Catonis personam gerere voluisse, sermone antiquitatem redolenti formisque vocabulorum obsoletis usus esset. Neque enim ei vitio vertendum est, quod indocti medii ævi homines celeberrimi illius Censorii præcepta in hoc libello agnoscere volebant.

## DICTA CATONIS.

### Præfatio.

Prologus deest in EF. 1, *Dum*: A; *cum*: ceteri; *adverterem*: A; *animadverterem*: ceteri; *plurimos*: A et Cantabrigiensis Gg. 5. 35; *quam plurimos*: ceteri; *pravitate*: A; *graviter in via*: ceteri; *famae*: A; *fabe*: Par. 8093 in prima

---

\* Vide Woelflin: *Sententiae Catonis* (Philologus IX. p. 679—685).

parte; *fore*: ceteri; *aestimavi*: A; *existimavi*: ceteri; *ut*: deest in A; *istis*: tantum in A reperitur; *vivere et honeste mori contingere*: A; *contingeret*: correxi; *viverent et honorem contingenterent*: ceteri. 2. Hanc partem aliter exhibit A. aliter ceteri; nos Veronensem sequimur: *quae*: A; *quare*: correxit Schenkl; *facti*: A; *factis*: correxit Schenkl; *vita cognoscatur*: A; *vitam cognoscas*: coniecit Schenkl; *vita corrigatur*: correxi.

Ceteri codices alteram præfationis partem procul dubio pessime sic exhibent:

«Nunc te, fili karissime, docebo, quo pacto morem animi tui componas. Igitur præcepta mea ita legit, ut intellegas. Legere enim et non intelligere neglegere est.»

Librari scilicet, postquam titulo additum est *ad filium*, præfationem titulo accommodare voluerunt. Nam, cum scriptor in exordio generatim de hominibus in via morum errantibus loquatur, repentinum illum transitum: *Nunc te, fili, ineptissimum esse neque ab ipso auctore profici sci posse nemo non videt*. Quamobrem critici, quibus ignota erat altera genuinaque huius loci forma, totam præfationem in dubium vocarunt, quod nos memoriam codicis Veronensis sequentes minime probamus. Verissimum autem est, quod Schenkl affirmat, scilicet, cum similia huic Statii, Ausonii atque Aviani proœmia oratione soluta scripta omnium consensu genuina sint, nullam subesse causam, cur hoc loco interpolationem recentiorem quæramus.

Ceterum Lucianus Mueller (Berl. Phil. Wochenschrift, 1893. p. 15) præfationem ad Maximum quendam scriptam et hunc in modum corrigendam esse censet:

«Cum animadverterem, plurimos *pravitate* morum errare, succurrendum opinioni eorum et consulendum famæ existi-

mavi, Maxime, ut *is gloriose vivere et honeste mori* contingeret. Quare ista facienda atque imitanda [esse] perscripsi . . . . ut *facile cursum vitae cognoscas*. Igitur præcepta is legat, qui intellegit. Legere enim et non intellegere *nec legere est.*»

### SENTENTIAE.

7. *ad nequam*: Par. 2772; *ante ne quanne accesseris*: A; *munquam ne accesseris*: B; *antequam voceris ad consilium ne accesseris*: Par. 8246. et Planudes, qui in versione sua Græca codice huic Parisino admodum simili usus esse videtur; *antequam voceris ne accesseris*: ceteri. Ea, quam recepimus, lectio latet etiam in corruptelis Veronensis et Matriensis, ceteras autem scripturas mera esse commenta nemo non videt. Quod ad adiectivum *nequam* pro substantivo usurpatum attinet, confer Matthæi Evang. 13.38: *zizania autem sunt filii nequam*, Græce οἵτι τοῦ πονηροῦ\*. Præterea hæc sententia aperte opposita est priori: *Cum bonis ambula*; confer similia præceptorum paria apud Catonem nostrum: «Maiori concede — Minorem ne contempseris; Rem tuam custodi — Alienæ ne concupieris; Mutuum da — Cui des videto; Libros lege — Quæ legeris memento».

25. *cave*: A; *fuge*: ceteri. Lectio Veronensis, quæ nobis in memoriam revocat proverbium illud notissimum: *cave canem*, præferenda esse videtur.

30. Sic AB; Bæhrens addit *gravem*, ego *iniustum* suspicor, sed in textu tantum lacunæ signum apposui; codices ceteri lacunam ex coniectura explent: *irascere ob rem noli*: CD;

---

\* Vide, quæ exposuit Bonnet in *Revue de philol.* VII. p. 23.

*irascere absque re noli*: Par. 8246; *irasci ab re noli*: Par. 2772, 8093, 8320.

40. *tute*: codices omnes: *vitae*: correxi; corruptelam hic latere suspicatus est iam Bæhrens, sed emendationem non tentavit. Iam *tute* et vulgarem formam scripturæ *vite*, præsertim si minusculis litteris exarentur, facile confundi posse non est quod moneam.

54. *aliena ne concupieris*: sic A et Sententiae Catonis n. 6., quæ testimonia inter se congruentia prœcul dubio præfenda sunt incertæ codicum ceterorum memoriae; quod perfectum coniunctivi cum coniunctione *ne* copulatum attinet; vide sent. 7: ad nequam ne *accesseris*; 47: minorem ne contempseris; *alienum noli concupisci*: CD Par. 2772, 8093; *alienum noli concupiscere*: ceteri.

### Disticha. Liber I.

8. *Semper enim*: AB; *saepe etenim*: ceteri; *coniunx servum quem diligis*: A; *mulier quem coniunx diligit*: ceteri. Hoc loco utraque lectio aptum efficit sensum; sed quia librum Veronensem, optimum ducem, potissimum sequi constituiimus, consentaneum esse videtur, ut iis locis, ubi diversæ codicum lectiones pariter in textum recipi possunt, ei credamus, quem testem fide dignissimum ubique cognovimus. *Coniunx servum quem diligit*: Luc. Mueller, Berl. Phil. Wochenschrift, 1893. p. 17.

12. *Rumores*: codices; *rumoris*: Luc. Mueller, Berl. Phil. Wochenschrift, 1893. p. 17; *cave*: A; *fuge*: ceteri; *ne studeas*: A; *ne incipias*: ceteri; *neu studeas*: Bæhrens, quod non est necessarium, nam et III. 1. duo præcepta sine coniunctione copulantur:

Instrue praeceptis animum, ne discere cessa,  
ubi ne Bæhrens quidem spernendam censuit codicum me-  
moriā; tacuisse nocet nulli: A; nulli tacuisse nocet:  
ceteri.

Iam in eo, quod etiam hoc loco auctoritatem optimi libri  
Veronensis ceteris omnibus posthabitatis, qui *ne incipias* ex-  
hibent, secuti sumus, certe satis fecimus dicendi generi Ca-  
toniano. Cato enim saepe pleonasmo quodam poetico primum  
præcipiendo deinde vetando idem lectores monet:

- I. 2: Plus vigila semper neu somno deditus esto;
- III. 1: Instrue præceptis animum, ne discere cessa;
- III. 21: Utere quæsitis, sed ne videaris abuti.

16. ac : A ; et : ceteri ; *reprendis* : B, quod Almeloven ante  
hunc codicem in lucem prolatum rectissime coniecit; confer  
Sententias Publilii Syri a Wøelflinio editas vs. 85: consueta  
vitia ferimus, non *reprendimus*, et vs. 516: quod periit, quæri  
pote, *reprendi* non potest; *reprehendas* : A ; *recenses* : ceteri,  
quos secutus est Planudes, pessimus testis, cui apud nos  
nulla potest esse auctoritas :

*\*Ἐργα λόγους τε διηγήσῃ πολλῶν περὶ γῆρας.*

Hoc loco enim admonendi sumus, Catonem ab hoc Græ-  
culo ad mendosi cuiusdam codicis exemplar esse conversum;  
nam primum pulcherrimarum lectionum, quæ in Veronensi  
occurrunt, apud eum nullum exstat vestigium, deinde quoties  
præstantissimi alterius familiae libri, BCDEF et ceteri eius-  
dem originis non congruunt, versio Græca deteriori parti  
favere videtur. Quod non commemorarem, nisi Hauthal in  
editione sua etiam Planudem ad emendandum poetam nostrum  
aliquid conferre dixisset. Vide, quæ exposui in *commentatione*  
*Cato distichonjainak Planudes-féle fordításáról* (De versione

Planudea distichorum Catonianorum) in ephemeride *Egyetemes Philologiai Közlöny* a. 1891. p. 1067—1074.

18. *Si*: A; *quum*: B; *cum*: ceteri; quamquam utraque lectio aptum efficit sensum, auctoritas Veronensis, sicut alibi, præferenda esse videtur; *sint*: EF; *sunt*: ceteri.

20. *det*: AEF; *dat*: ceteri; sententia concessiva lectionem Veronensis commendat. — *laetus*: A; *placide*: ceteri; *plene et*: A; *placide plene vel placide et plene*: ceteri.

22. *perdit quod vivit*: A; *quod vivit perdit*: ceteri.

23. Hic est ordo versuum in A, ceteri versum primum secundo loco afferunt. — *deos*: A; *deum*: ceteri, quæ procul dubio interpolatio hominis Christiani est. — *succurrit*: A; *respondet*: ceteri.

25. *nec vis promittere noli*: A; *ne bis promiseris ulli*: ceteri; *quod praestare potes nunquam sive potest nemo coniecit* Luc. Mueller, Berl. Phil. Wochenschrift, 1893. p. 16. *esse*: A; *ipse*: ceteri. Bæhrens hoc loco præstantissimam Veronensis lectionem nulla cogente causa contemnens, pro primo versu integrum Columbani hexametrum (Carm. monost. 24.) in textum recepit, alterum autem, similitudine III.

19. commendatum:

*Ne dicare loquax, cum vis urbanus haberi,*  
hoc modo commutavit:

*Quod dare non possis, verbis promittere noli,*

*Ne sis ventosus, dum vir bonus esse videris.*

Maximus Planudes etiam hic deteriorum codicum memoriam secutus est:

*Πᾶν δὲ δύνη τινὶ δοῦναι, μήποτε δἰς καθυπόσχῃ.*

27. *blandos*: A, Par. 7575; *blando*: ceteri; *nimio*: A; *nimium*: ceteri; *dum*: A; *cum*: CDEF.

30. *rectori*: A; *doctori*: ceteri; *arguat*: A; *redarguit*: ceteri; *redarguat*: Bæhrens.

33. *in certis*: codices; *in caecis*: Luc. Mueller coniecit, Berl. Phil. Wochenschrift 1893., p. 17.

40. *dando*: Par. 2772. 8093,\* in ras. etiam Reginensis 2078; *felix*: ceteri, quod molestissimum fuit criticis alteram scripturam ignorantibus. Nunc præstantissima Parisinorum lectio publici iuris facta luculentissime docet, hoc *felix* propter I. 18: *cum fueris felix in textum irrepsisse*; adde quod in C et finis huius hexametri: *quae sunt adversa caveto*, nostro loco legitur. Notandum est præterea, Scaligerum, virum ingenii acumine excellentissimum, idem, quod nunc in Parisinis legitur, confidenter coniecisse. Confer adnotationem eius: «Non dubitamus ab auctore scriptum: Quum fueris *dando*. Quum dando multa amicis dapsilis audiveris et liberalis, tamen memineris te tibi proximum esse.»

Bæhrens nescio qua ratione pro *carus* scribit *largus* et versum alterum pessima interpunctione corruptit:

Cum fueris, dando semper tibi proximus esto.\*\*

## Liber II.

8. *Noli putare malos*: pessime A; *nolo putas pravos*: ceteri; *temporibus*: codices omnes; *tempore si*: Bæhrens; *et*: codices; *at*: sic locum emendat, qui editionem Catonis Hau-thalianam recensuit in ephemeride *Philol. Anzeiger* t. IV. p. 463.

\* Vide, quæ exposuit Bonnet in Revue de philologie, VII. pag. 23—32.

\*\* Ubi in apparatu critico de codice Veronensi nullam feci mentionem, distichon in optimo illo libro deesse scias.

10. *Cui te scieris*: A; *quem scieris*: Par. 2874., 8286., 6345., 7575. Bernensis 463.; *cui scieris*; ceteri; *non esse*: codices; *non te esse*: correxi; *parem pro*: A, confer et similis argumenti versum in Collectione monostichorum apud Bæhrensum vs. 42., ubi multa Catoni debentur: Qui vinci sese patitur *pro tempore*, vincit; *parem tibi*: Bern. 403. Par. 7575. 6345. 8286. 8023; *parente*: D; *te parem*: Cantabrigiensis in Collegio Sanctæ Trinitatis O. II. 3 . nuperrime a Schenkelio excussus; \* *parem te*: ceteri. *Cui te scis non esse parem, pro tempore cede*: coniecit Bischoff, Proleg. zum sog. Dion. Cato, p. 32.

18. *ipsum*: A; *aut res*: ceteri, quod ortum est ex II. 5: dum tempus postulat aut res; *prudentia summa est*: præter A codices omnes, quod aptum efficit sensum neque alienum est a dicendi genere Catonis, qui ubique contraria iuxta se posita sectatur, ut exempli gratia his locis :

I. 11: Sic bonus esto *bonis*, ne te mala damna sequantur;

I. 12: Nam nulli *tacuisse* nocet, nocet esse *locutum*;

I. 26: Cum simulat *verbis* nec *corde* est fidus amicus;

I. 29: Quod *vile* est, *carum*, quod *carum* est, *vile* putato;

I. 32: *Ignotum* tibi tu noli præponere *notis*:

*Cognita* iudicio constant, *incognita* casu.

I. 33: Cum *dubia* in *certis* versetur vita periclis.

*cum tempore laus est*: A, quod absurdum est; *ioco cum tempore*: coniecit Bæhrens; *loco vel tempore*: coniecit Schenkl.

23. *successus indigni nolito*: A; *sucessum*: emendavit Schenkl; *successus tu noli indignos*: Par. 8093; *successus*

\* De hoc deterioris notæ codice vide quæ Schenkl exposuit: Wiener Studien V. p. 166.

*indignos noli tu : ceteri ; vincere : codices ; vertere : coniecit*  
 Luc. Mueller, Berl. Phil. Wochenschrift, 1893. p. 17.

26. *scieris* : A ; *noscis* v. *nosces* : ceteri ; *noris* : Bæhrens ;  
*promittere* : A ; *dimittere* : ceteri ; *versus alter deest in A* ;  
*post haec* : codices ; *post est* : Scrivarius. Quod ad productam  
 in *scieris* ultimam syllabam attinet, vide *versus in codice*  
*Turicensi solo exstantes Append. 2* :

Quod *scieris* opus esse tibi, *dimittere noli*.

31. Sic codices omnes et Carol. Magn. De non adorandis  
 imag. III. 26. Sensus est apertus : «Noli credere somniis ;  
 nam quod optamus, id vigiles speramus, dormientes autem  
 iam ante oculos habere videmur.» Quo magis miror, memo-  
 riā librorum ab omnibus editoribus repudiatam esse. Nam  
 plurimi *vigilans pro vigilat*, Erasmus *sperans pro sperat*,  
 Arntzen *optans pro optat* scripserunt. Adde conjecturas Box-  
 hornii :

Dum *vigilat, spectat per somnum semper id ipsum*,  
 et Bæhrensi :

Dum *vigilat, verum per somnum cernit id ipsum*,  
 et Anonymi cuiusdam in editione Amstelodami anno 1759.  
 publici iuris facta :

Dum *vigil et sperat*,  
 quas tamen minime esse necessarias interpretatio nostra  
 satis docet.

### Liber III.

4. Codex Catonis antiquissimus idemque longe optimus,  
 liber manuscriptus Veronensis, quem in distichis recen-  
 sendis imprimis sequi debemus, versum primum sic ex-  
 hibet :

Sermones blandos *ethlesos vitare memento*,

quoēcum Parisinus 8093., qui etiam alibi genuinarum lectio-  
num servavit vestigia, mire consentit :

Sermones blandos *et blaesos* vitare memento ;  
iam Parisini 8319. et 8320. versum corruptum ita emendare  
temptant :

Sermones blandos *blaesosque vitare* memento ;

ceteri autem omnes, scilicet, quorum librarii metri leges  
verbo *vitare* violatas esse cognoverunt, hanc versus formam  
præbent :

Sermones blandos *blaesosque cavere* memento.

Quare viris doctis artis criticæ in libris manuscriptis exer-  
cendæ peritis, quin verba *et blaesos vitare* in archetypo in-  
fuerint, dubium esse non potest. Restat igitur, ut spretis  
librariorum commentis genuinam restituamus lectionem.  
Quod non fecellit virum doctissimum, *M. Bonnet*, qui de  
codicibus Distichorum Parisinis disserens (vide : «Les disti-  
ques de Caton et les manuscrits de Paris» Revue de philo-  
logie, t. VII. p. 23—32) versum hunc in modum sanare  
conabatur :

*Sermonem blandum et blaesum vitare* memento,  
neque tamen, cur accus. sing. formæ *blandum* et *blaesum* in  
*blandos et blaesos* mutatæ essent, probabilem rationem red-  
dere potuit. Nos contra, collato 27. l. I. disticho, quod e  
codice Veronensi sic restituimus :

Noli homines *blandos* nimium *sermone* probare, ubi poeta  
de hominibus sermone *blandis* loquitur, scribendum censemus :

*Blandos sermone et blaesos vitare* memento,  
ut sensus sit : «Vitandi sunt homines sermone blandi et  
blaesi.» Iam verba *blandos sermones* parum intellecta in  
*blandos sermones*, deinde in *sermones blandos* mutata esse  
non est quod miremur.

*Si viri : A ; veri : ceteri ; fama : codices ; forma : coniecit Barth ; laus : A, quod iam pridem coniecit Malscius ; fraus : ceteri ; loquendi : codices omnes. Sensus versus alterius : « Simplicitas est forma veritatis, perpetua laus est forma ficta loquendi i. e. versutæ adulationis. » Lectio Veronensis, laus, commendatur etiam I. 27 :*

Noli homines *blandos* nimium sermone probare :

*Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Ceterum confer diversissimas editorum conjecturas :

*Erasmi : veri sana est ; Scriverii veri norma est ;*

*Withofii : veri plana est ; Arntzenii :*

*Simplicitas vera est fantis, fraus ficta loquentis ;*

Malscii :

*Simplicitas veri norma est, laus ficta loquentis ;*

Bæhrensi :

*Simplicitas veri forma est, laus ficta loquentis.*

13. *exemplis* : C; *exemplo* : ceteri.

